

berrimus D. CONRINGIUS (de Generat. Sang. c. 27. p. 201.) & PRIMIROSIUS (contra HARVEUM, c. 13. p. m. 93.) conferatur. Unde non datis valvulis, in progressu Arteriarum, planè neq; per eas dabitur Regurgitationis impeditio.

IV. Si quammaximè etiam in Arteriis darentur, in insigni tamen ac diuturnâ aliquâ Inflammatione, quod palmarium jam est, Sanguinem, quò minus is regurgitet, cohibere vix valerent, quia quò diutiùs hic fertur per Arterias ad partes, nec per venas tamen redire potest ad Cor, eò magis magisq; Arteria inturgescit. Turgescente Arteriâ, annatum eidem Valvularum latus ducitur cum ipsâ, & liberum vicissim earundem latus ab opposito interno Arteriæ pariete abscedit, sic, ut occludere eandem plenè non possit, sed cogatur admittere qualemcunq; Sanguinis regurgitationem : quam

*Valvulae ex-
tensis nimium
Venis non co-
extenduntur.*



rem libet tali exemplo ex mente OL. RUDBEKII (Insid. Struct. membr. 12. pag. 127.) declarare : Fiant duo canales, prout hic in appositâ Figurâ A. & B. videre est, annexasq; intrinsecus habeant quasdam Valvulas, ejusdem magnitudinis, quarum pars fixa esto C. libera verò & mobilis D. Postea in Canalis A. partem inferiorem E. liquor aliquis mediocri impulsu immittatur, sic valvulae attollentur, venam occlu-